

tum. Nihil magis optabat Saul, quam videre interitum Davidis: Aman, quam suspendiam Mardochei, cui lignum jam paraverat: Diocletianus, Maximianus, Julianus, quam interitum et desolationem Christianorum, etc. sed frustrati sunt spe sua. Contra verò continget, ut aliquando ipsorum interitum et depressionem videant sancti maxima sua gloria illorum confusione. Sic etiam in vita David vidit interitum Saulis; Israelitæ cadavera Ægyptiorum submersorum in littore jacentium; Moyses et Aaron interitum et absorptionem Dathan et Abiron; Ezechias cadavera exercitus Sennacherib prostata; Judith et populus Dei caput Holofernis amputatum et suspensum super muros suos, et exercitum ejus fustum et fugatum: sic Constant. Magn. tyrannum et hostem suum Maxentium in Tiberim de ponte Milvi divina vi præcipitatum: sic denique Mardocheus Amanem suspensum in ligno sibi ab illo parato. Verum in die ultionis multo magis hoc videbunt sancti, majorem longe eorum depressionem majori cum lætitia, quia non ob privatam sui ultionem, sed ob communis justitiæ splendorem et boni communis amorem. Tunc videbunt filios perditionis persecutores suos in stagnum ignis et sulphuris projici incredibili sua voluptate et gloria. Quod si Vitellius imper. hostium suorum peremptione oculos, et hostilium cadaverum fetore nares suas se pascere aiebat, teste Fulgoso, lib. IX. quod si Nero et alii cæde et sanguine martyrum festum sibi diem, eorum eculatibus convivalem musicam, eorum combustione lucernas epulares excitabant aliquando magna sua oblectatione, quanto majori sua facient ipsis sancti in illa die multo tristiori? Quomodo et ipsi pascent suos oculos in eorum interitu? Certe Apoc. XV. angeli illi vindictam in impios exercentes festis leguntur induti vestibus, lino mundo et candido, et præcincti zonis aureis. Item Isaia XXX. de die illa loquitur Deus ad electos suos: *Canticum erit vobis sicut vox significatæ solemnitatis, et lætitia cordis sicut qui pergit cum tibia, ut intret in montem Domini. Spectabitur, inquit S. Cyprian. ad Demetrianum, illic tortor a martyribus semper, qui martyres in suppliciis spectavit ad tempus. Per unam noctem spectavit ignem Laurentii Valerianus imperator: Laurentius ignem Valeriani tartareum semper intuebitur. E contra vero quis vobis tunc erit animus, o impii, cum videritis vos ante oculos hostium vestrorum adeo humiliatos, confusos et afflictos: illos vero adeo exaltatos, et sedentes juxta Christum judicem in sedibus tam excelsis et honoratis? Dicat hoc vobis impius ille Aman, qui innocenti Mardocheo infensissimus, cum juberetur a rege illum impo-*

nere equo regio et circumducere per plateas civitatis eumque honorandum proclamare: *Lugens et aperto capite festinavit in domum suam, Esth. VI. dicat vobis epulo ille, Luc. XVI. qui videns in sinu Abrahæ Lazarum, cur non ausus est rogare Lazarum pro aqua? Cur potius ad Abrahamum direxit sermonem? Nisi quia præ pudore et verecundia non est ausus compellere eum quem contempsisse se meminerat? Ita enim respondent S. Chrysost. Theophylac. Euthymius. Quod si graves erant illis ad videndum justi, dum viverent, et quidem abjecti et humiles, ut dicitur Sap. II. quam graves illis erunt exaltati et juxta Christum sedentes? Quod non facerent aut paterentur, si saltem tormenta eorum non viderentur ab electis, inimicis suis, vel ipsi gloriam eorum intueri non cogerentur? Tunc ergo incipient dicere montibus: *Cadite super nos, et collibus: Operite nos, inquit Dominus, Luc. XXIII.**

IV. Securos se in posterum semper videbunt ab hostibus suis: impii vicissim se inimicis suis amplius in æternum nocere, aut ultionem inferre non posse. Id quod illis maximam lætitiā, istis vero ingentem pariet fremitum et dolorem, hoc describit David, Psal. penult. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis.* (Ecce jam tuti erunt, et gaudebunt in securitate sua) sequitur paulo post: *Ad alligandos reges eorum in compedibus et nobiles eorum in manicis ferreis.* Ecce inimicos suos ligabunt, et ipsi clausi erunt: quid igitur timeant in posterum ab illis cum videbunt eos vinctos jamjam in æternum carcerem adducendos, et clave illa includendos, quæ claudit et nemo aperit? Apoc. III. Qui hic injuste vexantur et exterminantur, si nihil aliud possunt, Deum saltem et creaturas in ultionem vocare possunt. Sic ibicus dum a latronibus necaretur, prætervolitantes grues, in ultionem vocans, eas ultrices habuit: sic aliqui potentes a tyrannis capti rotæ volubilitate se consolati sunt, quasi aliquando et ipsi superiores evadere et dominari hostibus suis possint: ita sancti omnes in hac vita tribulati, vocantur a Zacharia, cap. IX. *Vincti spe*, sed non erit talis spes aut consolatio damnatis, rota non se vertet amplius. Similiter electi metuere non possunt, ne ipsi aliquando deprimantur: unde maxima horum consolatio; illorum desperatio existit.

Nam si unicum inimicum haberes, eumque ob flagitium quoddam ad carceres perpetuos condemnatum videres, clavem carceris in mare projici, quam securus tibi in posterum videreris? Dicere isti possunt multo melius, quam Salomon olim dixerit: *Nunc non est Satan, neque occursum malus*, III. Reg. V. suscitavit enim illi Dominus

tandem adversarium, qui regnum ejus scinderet, ibid. cap. XI. sed non suscitabitur amplius Satan electis. Festum instituerunt etsi nimis mature Phillisthæi et convivium splendidissimum instruxerunt olim, eo quod tradidisset Deus in manus eorum Sansonem hostem illorum: quanto majus festum agent sancti? Siquidem de illis adhuc Samson gravissime se ultus est. De Fulvia muliere Romana et Herodia recenset S. Hieronymus, in apologia adversus Rufinum illam Ciceronis, hanc Joannis Baptistæ capite plexi linguam acu discriminati confodisse, eo quod jam securas se videbant, et lingua eorum veridica impetius non posse. Sed faciet aliquando Joannes Herodiani quod ab ea passus est longe tristiori spectaculo. Tunc enim cum sævire amplius in sanctos se non posse videbunt, in seipsum sævient: et cum in linguas sanctorum insanire nequibunt, in suas debacchabunt, Apoc. XVI. *Commanducaverunt linguas suas præ dolore et blasphemaverunt Deum celi pro doloribus et vulneribus suis.* Hinc ille veniet fremitus et stridor dentium quem Dominus prædicat damnatis, et David, Ps. CXI.

V. Inimicos suos in Christo condemnabunt, et sententiam in eos pronuntiabunt, ut habetur III. part. d. LXXXIX. art. I. Sententiam Christi, inquam, jam ab ipso latam et conscriptam juxta Psal. penult. *Ut faciant in eis judicium conscriptum gloria hæc est omnibus sanctis ejus: et: Gladii ancipites in manibus eorum: item Malach. IV. Calcabitis impios cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum, in die qua ego facio, dicit Dominus: et Ps. LVII. Jactabitur justus cum viderit vindictam, manus suas (in Hebraico habetur pedes suos) lavabit in sanguine peccatoris.* Quæ omnia indicant cum lætitia et ira ad condemnationem malorum cooperaturos. Neque hoc mirum, siquidem in desperatos et obstinatos judicium exercebant. Si quando nos vidimus insignem reum, dum ducitur ad supplicium prorsus esse obstinatum, qui nec orare, nec crucifixum intueri, nec quicquam boni audire velit, sed in homines fremat, crucifixum conspuat, blasphemet, etc. usque ad ultimum spiritum, ei non modo compatamur sed potius vellemus ipsi ligna comportare ad ejus exterminium. Tales erunt reprobi omnes; unde non mirum, si gladio sententiæ ancipiti tam dire in eos sævient cum Christo sancti: sicut et in ipsos demones, peculiari vero ratione in suos persecutores. Si enim sæpe in vita eos terruerunt et prostraverunt, cum adhuc sperare eorum emendationem poterat; quid facient eis desperatis? De S. Benedicto legimus, in ejus vita apud Surium, quod cum aliquando crudelis et infidelis quidam Gotthus,

Galla nomine, rusticum affligeret et prædam ab eo extorquere vellet, rusticusque responderet, se jam bona omnia sua transcripsisse S. Benedicto, Galla rusticum ligavit et Benedictum sibi ostendere coegit quem videns a longe Galla, prædam ab eo reposcebat. Sed vir sanctus unico aspectu et rusticum a vinculis solvit, et infidelem tremefactum ad terram dejecit, et viribus defectum veniam rogare compulit. Similiter in vita S. Bernardi legimus, lib. II. cap. VI. cum simili potentia ducem Aquitanie, Guilielmum sceleratissimum et catholicorum vexatorem dejecisse. Cum enim verbis nihil in ipsum proficeret, accepta tandem ab altari eucharistia super patenam gestata, ducem pro foribus expectantem ita aggressus est: *Rogavimus te, et sprevisisti nos. Adest nunc judex tuus in cujus manus illa tua anima deveniet. Numquid et ipsum spernes? Numquid et ipsum sicut servos ejus contemnes?* Igitur mox membris dissolutis in terram dejecitur, et elevatus iterum in faciem ruit, viribus destitutus: quem sanctus vir pede pulsans, surgere jubet, et sententiam audire et offensis satisfacere, id quod restituito illo protinus obtinuit. Quod si tanta est in hac vita sanctorum potestas in suos persecutores corrigibiles; quid putamus valituros in desperatos? Quis tunc animus desperatis erit, cum audient contra se proferri ab inimicis suis verbum illud asperum et omnigladio penetrabilius? Cum gladum illum utraque parte acutum ex ore Christi evaginari videbunt ab inimicis suis et in se vibrari? Justinianus secundus imperator, ut refert Fulgoso, l. IX. post recuperatum imperium, quo eum nasoque simul Leonius patritius privaverat, acerbissime injuriam ultus est. Nam quoties nasum emungeret, hostium suorum unum capite mulcabat, quorum in vinculis magnum numerum habebat. Simili modo meritas dabunt pœnas sanctis eorum hostes per omnem æternitatem.

Quare videant quid agant perversi, qui hic ad tempus vexare et premere volunt justos, quia nosse debent, eos tandem et ultimo judices suos futuros. Similiter ne dejiciamini, o justi, dum hic vexamini: non est hæc dies ultionis vestræ, alia est, quam promisit Davidi in Saulem Dominus, I. Reg. XXIV. dicentibus ei servis suis: *Ecce dies, de qua locutus est Dominus ad te: ergo tradam tibi inimicum tuum, ut facias et sicut placuerit in oculis tuis.* Non invenio hanc diem obtigisse Davidi viventi in Saulem, siquidem etiam cum posset, nunquam se de Saule ultus est. Alia ergo dies est, et quænam, nisi quam Dominus in hodierno evangelio designat: *In regeneratione cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, etc.* ubi nos omnes secum considerare faciat, Amen.

CONCIO V.

DOCUMENTA ET MYSTERIA.

I. Quomodo ait Petrus: Reliquimus omnia? — II. Cur resurrectio mortuorum regeneratio dicitur? — III. Quales erunt Christi et apostolorum throni? — IV. Quomodo apostoli iudicabunt quadruplex iudicium? — V. Qui iudices assessores? — VI. Quinam ab illis iudicandi? — VII. Quænam merces relinquentium omnia?

THEMA.

Ecce nos reliquimus omnia. Matth. XIX.

Sapientis verbum est: *Accipite disciplinam meam et non pecuniam: doctrinam magis quam aurum eligit*, Prov. VIII. Quod verbum, si quis unquam, Christus dicere potest, cujus omnes sermones auri et divini sunt: et propterea sive staret, sive ambularet, circumdabat eum turba, ut verba ejus audiret, imo ex ore ejus raperet, et memoriæ commendaret. Quemadmodum enim aurifabri scrobem auro, vel argento detractam minime negligunt, sed in vas subjectum colligunt: ita, auditores, faciendum nobis, cum audimus verba Christi: nihil ex iis negligendum, omnia colligenda sunt; suo enim tempore sua nobis commoda ferent. Fecit hoc inter alios S. Paulus, qui verba Christi ad se dicta: *Saule, Saule, etc.* alta mente reposuit, et sedulo ruminavit, nec timuit repetere coram regibus et principibus. Igitur et nos de hodierno evangelio scrobemauream et argenteam nobis colligamus.

I. Quomodo potuit dicere Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia*, cum pene nihil haberet? Respondet primo, Theophylactus: « Tametsi, inquit, videatur Petrus non dimisisse magna aliqua utpote pauper, sed disce, quod reipsa multum etiam ipse reliquerit. Etenim et parvarum rerum magna tenemur affectione: sed et omnes voluptates Petrus reliquit, et cum parentibus amorem carnis. Illæ enim affectiones non solum contra divites, sed etiam pauperes militant. » In vita S. Gregorii papæ cognomento Magni legimus eremitam, qui pro Christo omnia reliquerat, revelationem accepisse, quod in cælo juxta Gregorium papam mansionem suam habiturus esset. Ingegnuit eremita, quod ob paupertatis suæ studium, non plus præmii accepturus esset, quam Gregorius, qui maximis abundaret divitiis. Dum ergo hæc sæpius mente revolvit, votum audivit talem: « Cum divitem possessio divitiarum, sed cupido faciat, cur audes paupertatem tuam Gregorii divitiis comparare qui magis illum catum, quem habes, quotidie palpando diligere comprobabis, quam ille tantas divitias, quas non amando, sed contemnendo, cunctisque liberaliter largiendo

dispergit? » Emendatus hac voce monachus, rogare Deum cepit, ut vel cum Gregorio præmium capere posset. Videmus ergo res viles etiam magno sæpe affectu diligere a pauperibus.

Resp. secundo Origenes, hom. in Matth. « Etsi, inquit, Petrus minima cum fratre reliquit, sed non minima sunt æstimata apud Deum considerantem, quoniam ex tanta plenitudine dilectionis illa minima reliquerunt: ut etiam si multas habuissent possessiones, omnia sine dubio reliquissent, nec ab eis nullo modo retenti fuissent aut impediti, etc. » Loqui Petrus se sciebat cum eo, qui cor et intentionem nosset, et pro opere acceptaret: quoniam ergo intentione et affectu omnia, si haberet, relinquere paratus erat, omnia se reliquisse ait. Ita Gen. XXII. dixit Deus Abrahamo volenti immolare filium suum: *Quia fecisti rem hanc, et non pepercisti unigenito filio tuo propter me, etc.* Pepererat sane Abraham filio suo, jussu Dei, nec ei quidquam mali intulerat: quomodo ergo Deus ait: *Non pepercisti filio tuo?* Quia nimirum Deus viderat cor Abraham paratum, quantum in ipso erat ad filium actu immolandum, ideo voluntatem ejus pro opere reputavit et præmiavit. Eodem modo Christus dicturus est electis: *Esurivi, dedistis mihi manducare, etc.* licet plurimi electorum nihil omnino habuerint, quod pauperibus erogarent. Videt enim illorum voluntatem et desiderium paratissimum ad erogandum, si quid eis suppeteret.

Resp. tertio, S. August. in Psal. CIII. conc. V. *Multum dimisit, fratres mei, multum dimisit, qui non solum dimisit, quidquid habebat, sed etiam quidquid habere cupiebat:* et S. Gregor. hom. V. in evang. *Certe nos, inquit, et habita cum amore possidemus, et ea, quæ minime habemus ex desiderio quærimus. Multum ergo Petrus et Andreas dimisit, quando uterque etiam desideria habendi dereliquit. Poterant apostoli sperare in sæculo dignitates, opes, delicias, tametsi eas nondum habebant: omnia ergo ista censentur reliquisse. Idem dicendum de religiosis.*

II. Cur resurrectio mortuorum vocatur regeneratio? Resp. primo, quia est similis primæ generationi, et nativitati, qua ex terra nati sumus. Duplicem vitam habet homo temporalem et æternam: proinde duplicem etiam nativitatem, primam, qua nascitur in hunc mundum, secundam, qua nascetur in vitam immortalem, resurgendo in extremo die iudicii. Ad utramque vitam ex terra nasci dicitur, ad hanc temporalem, quia de terra corpus ejus formatum est: ad illam immortalem, quia de sepulcro quasi de ventre terræ rursum egreditur, qui cum moritur in uterum illum velut semen recluditur suo tempore gis-

endus. In utraque nativitate, terra mater nostra est, Deus vero pater, qui uti initio mundi extraxit hominem de terra ad hanc vitam: ita in fine mundi extrahet omnes mortuos de sepulcris. Dicimus ergo hinc duplici ratione nos terræ filios esse, quod utinam nunquam nobis excideret. S. Aug. l. VIII. de civ. c. XIII. refert fabulam ethnicorum de Antæo, quem finxerunt terræ filium, e gremio ejus natum, qui omnes secum luctantes vincebat, ex eo quod in matrem suam terram vel projectus vel se demittens vires a matre resumebat; quibus roboratus quemvis hostem superabat. Sciens illud Hercules, cum eo in arenam descendit et miserum Antæum in sublime extulit, ne contingere matrem posset, atque inter brachia sua in aere constrictum interemit. Studium hoc diaboli est, ut terræ filios in sublime efferat, et a matre nostra terra quam longissime separet, persuadendo nobis, longe a nobis mortem distare: *Nequaquam moriemini, sed eritis sicut dii, etc.* nobilis es, dives es, juvenis et fortis, gratus apud homines, etc. inde in superbiam et præsumptiones aliaque plurima vitia nonnemo elevatur et misere a dæmone jugulatur. Nos ergo si sapimus, ne patiamur nos in sublime tolli, locum nostrum ne dimittamus, terram nostram matrem mente contingamus, pulverem nos esse consideremus, dicamusque in nobis: *Quid superbis terra et cinis? Quid pro fluxis rebus, quas eras es relicturus, vane conturbaris? etc.*

Secundo, quia similis et spirituali generationi per quam Christo in baptismo renati sumus, in hac enim anima nostra abstersa est ab omnibus sordibus seu culpæ, seu pænæ, vestita est veste gratiæ gratiosissima, factaque est nova creatura et quasi angelus quidam, ita et electi in generatione altera resurgent impolluti et ab omni miseria seu corporis, seu animæ liberi et immunes, insuper veste gloriæ induti, eruntque deinceps sicut angeli Dei in cælo: *Et ipsi populus ejus erunt,* inquit Joannes, Apoc. XXI. *Et ipse Deus cum eis erit eorum Deus et absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, et mors ultra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultra, etc.*

III. Quales erunt throni Christi, et sedes apostolorum in iudicio? Resp. valde probabile esse, thronum Christi fore nubem pulcherrimam, et splendidam instar solis: similiter sedes apostolorum. De Christi throno scribit Joannes, Apoc. XIV. *Et vidi, et ecce nubem candidam: et super nubem sedentem similem Filio hominis, et habentem in capite suo coronam auream, et in manu sua falxem acutam.* Fax acuta iudicem prodit, qui universum mundum demetet: et triticum quidem

congregabit in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Nubes similiter denuntiat electis salutiferam illam pluviam: *Venite benedicti: reprobus vicissim fulmineam illam grandinem: Discedite a me maledicti.* Quod vero nubes futura est candida, indicat candorem iudicis, atque in iudicio illo nullum fore locum facis et prætextibus, sed omnia manifesta et aperta futura.

IV. Quomodo apostoli iudicabunt? Respondetur quadrupliciter posse mundum iudicari. Primo, iudicio comparationis, quo uno altero melior vel deterior iudicatur, ut cum Ninivite, vel regina austri surgent in iudicio et condemnabunt incredulos: et hoc iudicium commune et sanctis et reprobis. Secundo, iudicio approbationis, quo sententia Christi iudicis tam quæ in reprobos, quam quæ in electos lata approbatur: et hoc commune est omnibus beatis, qui Apoc. XIX. simul exclamant: *Vera et justa iudicia sunt ejus qui iudicavit de meretrice magna, etc.* Tertio, iudicio assessoris, quo iudicis assessores una cum ipso causas discutiunt, et a iudice interrogati suffragia sua ferunt, et sententias dicunt: et hoc congruit et promittitur hic apostolis. Quarto, iudicio auctoritatis, quod solius Christi est, qui sententiam fert et pronuntiat, mandataque executioni, D. Thom. III. p. q. LXXXIX. addit. a. 1.

V. Quinam iudicabunt iudicio assessoris? Respondetur, ex communi sententiâ pp. Augustini, Gregorii, Bedæ, Origenis, glossæ, D. Thomæ III. p. q. LXXXIX. addit. a. II. omnes illos cum apostolis iudicatos, qui apostolicam vitam secuti adeoque propter Christum omnia sua reliquerunt. Colligitur ex verbis Christi et indicatur Job, XXXVI. cum dicitur: *Judicium pauperibus tribuit.* Nec immerito primo: *Ut sic, qui propter Christum se humiliat, exaltetur,* inquit D. Thom. loco citato: secundo, quia pauperes omnibus renuntiantes, soli Christo adhærent, et a justitia non deflectunt, ideo sunt ad iudicandum idonei; quæ est altera ratio Divi Thomæ. Tertio, quia cum pauperes deferendo omnia sua pateant hominum calumniis et oppressionibus (siquidem non habent quo se defendant) voluit hanc eis promittere potestatem Christus; ut caveant potentiores nocere Christi pauperibus, quos audiunt iudices suos futuros. Hæc ergo promissio est eis pro muro vel lorica, vel melius pro salvo conductu, seu ut vocamus, salva guardia.

VI. Quinam ab his iudicandi sunt? Respond. omnes reliqui Christiani. Duodecim enim tribus Israel universam Ecclesiam hic significant, quemadmodum et domus Jacob, Lucæ I. *Regnabit*